

quiri) pabulo ex aëre nitroso destituta (pauculum enim illud ex tam paucò aëre citò consumeretur) deficeret. Atque inde fuisse procul dubio, quod in ampliore campana vitrea tardiùs extincta flamma fuerit, quia fuliginibus plus spatii, quò se reciperent, suppetebat, vel plus nitrosi pabuli in aëre copiosiore; ut adeò credibile valdè sit in Campana tali amplissima, quali usos in Catalonia Gallos & Hispanos è Panthoto narravimus, accensum ignem diu fatis sub aquis asservari posse.

Causa 10.
Phæn.

CONCLUSIO VIII. Quod verò redux ex aquis flamma in ipso tandem exitu campanæ plerumque subitò extinguitur & cum strepitu aliquo; causam esse imminutum interim aëris inclusi & flammam proximè ambientis elaterem. Sive enim à calore & rarefactione hæc arcessatur debilitatio, sive ex alia causa (nam etiam intra campanam omni igne destitutam aëris elaterem tantillum imminutum esse cum ex aqua retrahitur, eventus ille manifestissimè docet, quo cum aliqua notabili difficultate separari ab aquis campanam sentimus, evidenti argumento, quod externus aër plus virium eam deprimendi & aquam ad labra ejus compellendi, quàm internus contrà urgendi ac repellendi habeat) necessum est in ipso separationis actu externum aërem integro & illæso elatere agentem, interno interim ob antedictam, aliquantillam licet, debilitatem tantisper cedente, cum impetu aliquo subirruere, & excitato flatu cum crepitu quodam conjuncto flammam extinguere.

TENTAMEN II.

De

*Novis Antlia Pneumaticæ formis & Accessionibus,
eorumq; effectis.*

I.

POsteaquam antliæ Pneumaticæ formam Gerikius inventor primus ipsemet non unam dedisset, ac *Boylus* novam